

Letter 524: 23 November 1533, Basel, [Oswald Myconius] to Capito and Martin Bucer

The manuscript of this letter is in Zurich ZB, F 81, f. 334r–v.

S. Non possum continere apud me diutius, quae nuper vir bonus de urbe vestra ad me detulit, ne damnum fiat, si res ita habuerit. Sin aliter, caveatis quantum licuerit, ne quando status civitatis istius huc veniat, ut malum sit inevitabile timendum. Sic coepit ille: “Talis est facies civitatis Argentinensium, ut nisi Deus protexerit, prius quam novus annus inierit, evangelio careant.” Quem sermonem dum audirem maximo cum horrore, causasque rogarem, “Canonicorum,” inquit, “tantus est luxus, tanta petulantia, interim vero tanta impunitas, quantam ego vix unquam viderim. Dumque lasciviunt modis omnibus impyssime, malis quoque consiliis, et his clanculariis implent omnia. Non est locus ubicumque conveniunt, in quo non alter alterius expleat sufurationibus aures. Currunt interea non in singulos dies, sed fere in horas singulas veredarii tam celeriter ad hos, ut videas aliquid ab iis tentari magnum.” “Sed in quem?” inquam ego. Tum ille, “Nimirum in senatum. Hic enim si victus esset, plebs loco iam foret mota. Verum aliud est,” inquit, “quod me perturbat: advenarum multitudo urbem subinde intrantium et exeuntium, quorum primus aditus fere est ad canonicos. Insuper et cives pro nescio quo iure novidantur ab episcopo, quales ii sint, quis non noscet?” Flagitiosorum item hominum vis occurrit non parva, quibus alibi locus nullus. Catabaptistis omnia referta, dogmatistarum vix unquam maior est conspectus numerus. Tolerantur omnes. Praedicatores tacent. Senatus vel nescit vel negligit. Sed et flagitiorum nullibi maior impunitas. Agit quisque quod est libitum. Videres inebriari, libidinari; audires blasphemare palam, prorsus nemine curante. Senatus praeterea non communicat cum piis, unde plebis pars maxima sequitur. Huic contemptus sacramenti illius tam nobilis; huic contemptus docentium atque adeo Verbi Dominici. Qui quid tandem sit pariturus cuinam potest esse dubium? Senatus dum connivet ad peccata, dum arridet eis, qui pessimis essent suppliciis adficiendi potius, vel saltem urbe propellendi. Quid aliud, quam iram Dei permovet in caput suum? Quare caecitationem hanc primam puto, qua non videt quae moliantur religiosi canonici illi contra se, contra pios, contra iusticiam omnem. Fingunt iidem negotia, quo possint et in urbe diutius sine suspitione morari, et interim agere, quae olim sint usui. Accedunt pessimi sermones multorum, inprimis tamen nobilis cuiusdam, qui hisce verbis nuperrime usus, bonum virum admodum terruerat. “Equidem,” ait, “ferre possem omnia, quae docent isti, tantum missam restituerent, rem profecto sacerrimam.” Verum qui scis, quid futurum? Solt es darzu kommen (das weiß ich) das man umb die Meß solte meerenn, da jetz nit einer wer, da würdendt tusent sin. Haec omnia non ego solus novi, sed et per rimas ille noster. Perturbarunt ambos valde, quamobrem visi estis admonendi, si quomodo, quae unice diximus (non enim omnia sunt vana) queant adarceri diligentia. Qua nemini non externorum consulere nostis. Uti quidem ut probe, et pie facitis, ita videnda est aliquando etiam propria domus, ne quid et isthic perent, ne quod habent proverbium vulgare – ‘Omnibus consulit, sibi non consulit;’ ‘Er kan jederman zuschalten, aber imßelbs nit,’ – in vos proiciatur. Tunicam pallio propriorem esse et esse debere, non potestis ignorare. Quamobrem diligenter incutiendum ut pars melior civitatis vestrae lucri fiat Domino, tum deinde parum erit de reliquo negotii. Interea quanta fieri potest diligentia radices malorum dogmatum extirpandae, nec aliae deinde seri premittendae. In tempore enim hic est obsistendum.

Haec non alter dico, quam ut nomenclator admoneo nanque, quorum fortasse vobis non est recordatio, propter, quibus obruimini negotia. Bone ergo consulite, quod facio. De rebus aliis vos certiores reddet Dasipodius noster abunde et vere. Hunc vobis doctum et pium mihique

coniunctissimum commendo, ut magis nequeam. Gratia Dei sit vobiscum. Basileae, XXIII
Novembris anno MDXXXIII.
[Address]: D. Capitoni et Bucero suis.